

Confirm. 2. Quia sicut in prima et secunda ætate Moyses non descripsit tempus nativitatibus omnium, sed tantum eorum per quos descenditur ad Abraham, sic quoque in tertia ætate, quæ incipit ab Abraham, debuit ponere non quoto anno natus sit Nachor vel Aran (de quibus tantum agebat per accidens, scilicet propter Abraham: Aran enim nominatur, quia Abraham accepit ejus filiam in uxorem; Nachor nominatur, quia Isaac filius Abraham, et Jacob nepos ejus acceperunt uxores de filiabus Nachor; et ita descendunt Hebræi de Nachor ex parte matris), sed debuit ponere quoto anno natus sit Abram, quia principaliter de illo agebatur, utpote per quem descendit ad subsequentes mundi ætates, et sic consequenter ad Christum. Cum autem hic ponat annum 70 Thare, clare sequitur, quod eo anno natus sit Abram.

Argumentum propositum ad clariorem formam reduci potest hoc modo: Moyses hic describens annum nativitatibus unius filiorum Thare, haud dubie descripsit natalem istius, de quo principaliter agendum erat, nempe Abram: atqui scripsit, quod hic sit annus 70 Thare: ergo illo anno natus est Abram.

Sensus ergo verborum præcitarum est hic: Vixit Thare 70 annis, et jam tum genuerat Aran (scilicet primogenitum) et Nachor (nempe medium), ipsum vero Abram genuit præcise anno 70; ita ut tunc compleverit generationem istorum trium filiorum. Præponitur autem hic fratribus suis Abram, tum quia per eum textit Moyses chronologiam, tum quia ex ipso erat nasciturus Christus; ideoque et ejus prosapiam, fidem et gesta deinceps prosequi principaliter intendit Moyses. Et ideo § præced. ex S. patre audivimus, quod Abram merito excellentiæ prior fuerit nominatus.

Et sane, quod Abram natus sit anno 70 patris sui, postulat stabilitas chronologiæ quam hic textit Moyses per Thare, Abraham et Isaac: per hunc enim annorum 70 continuat Moyses suam chronologiam, quæ alioquin incerta esset, imo falsa, si anno 70 Thare non esset natus Abram. Incerta quidem; quia non sciremus, quo anno patris sui esset natus Abram: falsa autem; quia annus 70 non adscribitur aliis, sed soli Abræ, cum hic nominetur primo loco.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Ex verbis Scripturæ supra citatis tantum sequitur, quod Thare cœperit gignere anno 70 ætatis suæ; ita ut sensus sit, quod nullum filiorum suorum ante 70 annum genuerit; sicuti dicitur Gen. V. *Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham et Japhet*, non videtur esse sensus, quod isto anno genuerit Sem, quia multi non improbabilius sustinent, quod Sem tantum sit natus duobus annis post nempe cum Noe esset 502 annorum: ergo ex verbis supra citatis non eruitur, quod Abram sit natus anno 70 patris sui.

R. Neg. sequelam propter rationes prob. II allegatas; et interim non quidem concessio, sed tamen hic tantisper transmissio antecedente prob., neg. conseq.; disparitas est quod Scriptura in genealogia Sem

videatur uti numero rotundo pro exacto; prout passim facere solet. Quando autem utitur numero rotundo, tunc alibi exprimit, vel colligendum relinquit numerum exactum. Sic quando dicit Noe genuisse Sem, cum quingentorum esset annorum, postea dicens, Sem anno centesimo ætatis suæ genuisse Arphaxad, idque biennio post diluvium, sufficienter (ut jam memoratum argumentum urgentes præterdunt) insinuat, quod Noe genuerit Sem anno ætatis suæ 502 vel 503; sed postquam dixit, Thare genuisse Abram anno 70 ætatis suæ, postea nullibi insinuat, quod illum genuerit aliquo anno medio inter 70 et 80.

Itaque cum numerus rotundus dicatur ille, qui pro ultima nota arithmetica habet litteram 0, ut 10, 20, 100, etc., et oppositæ sententiæ assertores dicant, Abram esse natum anno 150 patris sui, non possunt dicere, quod Scriptura hic utatur numero rotundo pro exacto, quia inter 70 et 150 mediatur sex numeri rotundi. Quamvis ergo natalis Sem protrahendus foret ad biennium, non possumus tamen pari ratione Abrami natalem protrahere ad 60, nempe ad patris sui annum 150: non enim est eadem ratio duorum ad 500, quæ 60 ad 70. An si Moyses usurpat 500 pro 502, usurpabit similiter 70 pro 100, et simul 50? Hoc certe nullatenus dici potest: nam quando Scriptura utitur numero rotundo pro exacto, id facit dum parum vel supra, vel infra est (ut infra videbimus ad cap. XV), non autem quando multum supra vel infra est. Unde cum in textu Gen. 5, tantum sint duo anni supra numerum rotundum 500, non est mirum, quod uti poterit numero rotundo pro exacto; et sic illud verbum *genuit* adhuc refertur ad Sem, etiamsi supponatur natus anno 502 patris sui. Sed id non potest dici in nostro casu: nam non parum, sed multum hic superest, nempe 60 super 70. Et sic illud verbum *genuit* non posset referri ad Abram, sed deberet referri ad Nachor vel Aran; et ita maneret incerta, imo turbaretur tota chronologia.

Etenim si liceat dicere, quod Moyses hic non descripserit annum nativitatibus Abrami, idem quoque potero dicere de aliis retroactis generationibus; et sic, v. g., dum cap. 5 dicit Seth vixisse 105 annis et genuisse Enos, sensus non erit, quod Enos genitus sit anno 105 patris sui, sed quod ante illud signatum tempus genitus non fuerit; et sic rursus de Enos dum genuit Cainan, etc. dici poterit: unde certum annorum numerum in qualibet generatione addere cuius licebit.

Obj. II. Scriptura hic §. 32 dicit, Thare mortuum esse anno ætatis 205, et cap. XII, 4 dicit, Abram egressum esse de domo patris sui in Chanaan anno ætatis suæ 75; adeoque insinuat, quod Abram mortuo patre suo habuerit annos 75; ergo colligitur, quod natus sit anno patris sui 150, nam si natus esset anno 70, mortuo patre habuisset 155 annos.

R. Neg. conseq., et suppositum, quod iverit in Chanaan tantum post mortem patris: nam profectio

illa Abræ in Chanaanitidem, cum is esset 75 annorum, contigit 60 annis ante mortem Thare; ea tamen a Moyses post mortem Thare commemorata est per figuram, quæ nominatur *recapitulatio*, qua posterius narratur quæ prius gesta fuerant. Unde S. P. Aug. lib. XVI de Civ. Dei cap. XV ait; *Intelligendum est more suo Scripturam recapitulando rediisse ad tempus, quod jam narratio illa transierat... tunc itaque hoc factum est, quando pater ejus centesimum quadragesimum et quintum annum agebat ætatis: tunc enim fuit hujus (Abræ) septuagesimus quintus annus. Itaque hæc non dicuntur secundum ordinem rei gestæ, sed per recapitulationem. Narrat ergo Scriptura prius mortem Thare, quam discessum Abræ, ut absolvat quod de Thare dicere volebat, sed postea recapitulando redit ad Abram. Sic Gen. V, 5 de Adam dicitur: *Et mortuus est*, postea autem §. 6 dicitur: *Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos*. Et tamen inde non sequitur, quod Adam mortuus sit ante nativitatem Enos: ergo similiter non sequitur, quod Thare mortuus sit ante egressum Abræ ex Haran in Chanaan.*

Obj. III. Huic expositioni contrariatur narratio S. Stephani, Act. VII, 4, ubi refertur, quod Deus transtulerit Abraham in terram Chanaan post mortem patris ejus: dicitur enim: *Tunc exiit (Abraham) de terra Chaldaeorum et habitavit in Charan (id est in Mesopotamiæ urbe Haran, quæ vulgo Charra dicitur), et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis*.

R. Prætermissa responsione eorum, qui dicunt Abram bis ex Haran egressum esse in Chanaan, nempe semel vivo, et semel mortuo patre; quæ non satis fundata videtur; ut monstratum est § præced. in respons. ad obj. III: R. inquam, neg. assumpt., quia verba S. Stephani non designant profectionem Abræ ex Haran in terram Chanaan; neque enim dicit S. Stephanus: *Postquam mortuus est pater ejus, exiit in terram istam*, sed: *transtulit illum Deus, etc.* Porro per translationem intelligitur collocatio Abræ in terra Chanaan, in quantum cœpit esse possessor rei propriæ in terra Chanaan, empto ibidem agro in sepulturam uxoris suæ Saræ, cum antea nihil proprii ibi haberet: quod biennio post mortem patris ejus, juxta hanc sententiam contigisse, constat ex § præced. prob. II. Unde S. P. loco præcit. verba Act. ita interpretatur: *Non ait (S. Stephanus) Postquam mortuus est pater ejus, exiit de Charra sed, Inde postquam mortuus est pater ejus, hic eum collocavit... collocationem igitur ejus in terra Chanaan, non profectionem de Charra post mortem patris ejus factam esse dixit, quia jam mortuus erat pater ejus quando emit terram, cujus ibi jam suæ rei cœpit esse possessor*.

Deinde Abraham potest etiam intelligi translatus in terram Chanaan post obitum parentis, dum ex filio Isaaco natus est ei nepos Jacob, cujus universum semen regnaturum erat in terra Chanaan, amplissima hæreditate ex Dei promisso illi donata: nam in nativitate Jacob firmata fuit illi promissio de possi-

denda terra illa per suos posteros a solo nepote suo Jacob oriundos. Unde rursus S. P. Q. 25 in Gen. interpretans verba S. Stephani ita scribit; *Intuendum est, quia non dixit: « Et postquam mortuus est pater ejus, egressus est de Charra: » sed « Inde collocavit eum Deus in terra hac: » ut post habitationem in Charra collocaretur in terra Chanaan, non post mortem patris egressus, sed post mortem patris collocatus in terra Chanaan; ut ordo verborum sit: « habitavit in Charra, et inde collocavit illum in terra hac postquam mortuus est pater ejus: » ut tunc intelligamus collocatum vel constitutum Abrahamum in terra Chanaan, quando illic eum nepotem suscepit, cujus universum semen illic fuerat regnaturum, ex promisso Dei hæreditate donata. Unde nondum erat in terra Chanaan collocatus; etiam eo tempore quo natus est Isaac: Nam, ut Pergit S. P., ex ipso Abraham natus est Ismael de Agar, nati et alii ex Cethura, ad quos illius terræ non pertinet hæreditas. Et ex Isaac natus est Esau, qui similiter ab illa hæreditate alienatus est. Ex Jacob autem, filio Isaac, quotquot filii nati sunt, id est, universum semen ejus ad illam hæreditatem pertinet. Sic ergo collocatus et constitutus est in illa terra Abraham, quoniam vixit usque ad nativitatem Jacob. Porro Abrahamum tamdiu vixisse, monstratum est § præced. in respons. ad inst. II, obj. IV.*

Solutio jam data fundamentum habet in græco, in quo loco *transtulit* legitur *μετόικησεν*, id est *Colonus et habitorem fecit*; vel (ut alii vertunt) *firmiter collocavit*. Et ideo S. P. loco *transtulit* substituit vocem *collocavit*.

Obj. IV. Si Abram natus esset anno 70 patris sui, mortuo patre attingisset annum ætatis suæ 155; ac proinde Isaac filius ejus egisset tum temporis annum ætatis suæ 55: siquidem natus est Abrahamo centenario; ut dicitur infra cap. XXI. Atqui tamen hoc repugnat Act. VII, ubi S. Stephanus narrat, post mortem Thare Abraham translatus esse in terram Chanaan, et tum promissionem illi factam, *cum non haberet filium*. Ergo, etc.

R. Neg. min., quia verba illa: *cum non haberet filium*, non referuntur ad vocem *transtulit*, quasi sensus foret, quod Abraham, dum post mortem patris translatus seu collocatus fuit in terra Chanaan, nondum haberet filium; sed referuntur ad *repromisit*, ita ut hic sit sensus: Deus post mortem Thare transtulit Abraham in terram Chanaan, et non dedit ei partem in ea; neque passum pedis, sed ei et semini ejus se eam daturum repromisit, dum nondum habebat filium. Jam autem hoc verificatur etiam in hac sententia: nam juxta illam Deus promisit Abrahamo terram Chanaan, postquam ex Haran vivo adhuc patre, egressus erat in illam, eamque perambulabat; ut dicitur cap. XII, 6 et 7: tum vero Abrahamum nondum habuisse filium, omnino certum et manifestum est.

## SCHEMA CHRONOLOGICUM.

## A FINITO DILUVIO USQUE AD ABRAHAM.

Juxta textum Hebræum.	Juxta LXX, ed. Sixtine.
Sem genuit post diluuium anno	Sem genuit post diluuium anno
Arphaxad mediante Cainan anno ætatis suæ	Arphaxad anno ætatis suæ
Sale	Cainan
Heber	Sa a
Phaleg	Heber
Reu	Phaleg
Saruch	Rhagau
Nachor	Seruch
Thare	Nachor
Supputationis summa juxta textum hebræum et Vulgatam nostram conficit annos	Supputationis summa juxta editionem LXX conficit annos
232	1172

Itaque juxta veram, et genuinam chronologiam Vulgate nostræ (si supponatur Abraham esse natus anno 70 patris sui) a diluuiio usque ad ortum Abrahamæ fluxerunt anni 292, et ad ejus vocationem, de qua cap. seq. 567: adeoque Abraham natus est anno mundi 1948; vocatus vero a Deo anno mundi 2025.

Si autem supponatur Abraham esse natus anno 150 patris sui, a diluuiio usque ad ejus ortum fluxerunt anni 352, et ad ejus vocationem 427: ac consequenter Abraham natus est anno mundi 2008; vocatus autem a Deo anno mundi 2085.

Si denique ex quadam congruentia Cainan, quando genuit Sale, tribuantur 30 anni distincti a 55 annis, quos juxta nostram Vulgatam dicitur habuisse Arphaxad dum natus est Sale; hos 30 annos jam præmemoratis numeris tantum adde, et quot anni in hoc supposito a finito diluuiio, item a mundo condito usque ad Abrahami ortum ejusque vocationem fluxerint, facile reperies.

## CAPUT XII.

*Abram cum ampla promissione vocatus a Deo, peregrinatur in Chanaan, cogente vero fame descendit in Ægyptum, ubi uxor illius rapitur a Pharaone; sed ob flagella cœlitus immissa restituitur intacta.*

## QUÆSTIO I. — DE VOCATIONE ABRAE ET PROMISSIONE AD EUM FACTA.

Vers. 1. Dixit autem Dominus ad Abram. Octies locutum esse Deum cum Abram, docet historia hujus libri 1. Enim locutus est ei, dum jussit eum relicta patria venire in terram Chanaan, ut narratur initio hujus cap. 2. Locutus est eum eo postquam primum ingressus est Abram terram Chanaan; ut hic paulo infra describitur 3. Cum ex Ægypto regressus in regionem Chanaan, dissociatus et separatus est a Lot, cap. seq. 4. Dum cap. XV promisit ei posteritatem numero stellarum comparabilem 5. Dum cap. XVII ei dedit præceptum circumcisionis 6. Cum cap. XVIII tres angelos sub humana specie hospitio accepit 7. Cum cap. XX jussus est ejicere e domo sua Ismaelem 8. Denique cum jussus est immolare filium suum Isaac, ac mox deinde eum immolare prohibitus, cap. XXII.

Quæstio autem hic moveri solet, quo in loco fuerit Abram, dum 1. dixit ad eum Dominus: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.

Aliqui putant; Abram bis vocatum a Deo: 1 in Ur Chaldæorum, quam vocationem putat Jansenius Abram executum fuisse cap. præced. 1. 31: postea vero iterum vocatum esse a Deo, cum esset in Haran. In hanc sententiam abire videtur S. Chrysost. Hom. 36 in Gen., et a Lapide pro ea etiam citat S. Hieron.

Alii vero, ut Pererius et a Lapide, ex opposito sustinent, tantum semel a Deo vocatum esse Abram, eandemque esse vocationem, de qua hic agit Moyses cum ea, de qua agit S. Stephanus, Act. VII, 2. Itaque juxta ipsos hæc vocatio contigit non in Haran, sed in Mesopotamia vel in Ur Chaldæorum. Etenim ibidem Abrahamum a Deo esse vocatum, constat ex narratione S. Stephani: nam. cap. et 1. mox cit. ita loquitur: *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, 3, et dixit ad illum: Eci de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi 4. Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater ejus, transiit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.*

R. Et dico: Verisimilior videtur sententia eorum, qui asserunt hanc Abram vocationem, non in Haran, sed in Mesopotamia vel in Ur Chaldæorum esse factam.

Prob. I. Quia per hanc vocationem jussus est Abram exire de terra et cognatione sua: atqui terra Abram, proprie loquendo, erat in Chaldæa, et non in Haran; Abram namque origine erat Chaldæus; ut colligitur ex eo quod cap. præc. 1. 27 Thare dicitur genuisse Abram, Nachor et Aran, subjungaturque 1. 28. *Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra natalitatis suæ, in Ur Chaldæorum.* Ergo, etc.

Dices: Quamvis Haran non fuerit natale solum Abrahamæ, sed Ur Chaldæorum, potuit tamen dici terra Abrahamæ, quia aliquandiu cum patre, uxore sua, nepote, etc., in Haran habitaverat, antequam hæc fieret vocatio. Unde et infra cap. XXIV, 4, Abraham mandat famulo suo: *Ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Famulus autem non est profectus in Chaldæam, sed in Haran; ut patet ibid. ex 1. 10.

R. Neg. assumpt. nam cum Abraham in Haran manserit tanquam peregrinus et alienigena, certoque consilio et proposito pergendi ad eam terram, ad quam Deus eum vocabat: non potest dici, civitatem Haran fuisse terram propriam, et patriam ipsius Abrahamæ, licet ibi aliquo tempore cum patre suo habitaverit. Ad textum autem ex cap. XXIV citatum dico, Haran tantum hoc sensu dici terram Abrahamæ, quia ibid. erat paterna domus Abrahamæ, et cognatio ejus seu familia Nachor: idque liquet ex 1. 38, ubi famulus mandatum Abrahamæ exponens, ait: *Ad domum patris mei perges, et de cognatione mea accipies uxorem filio meo.* Verum 2. terra tua sic non potest accipi in textu ex hoc cap. supra cit. siquidem

ibidem condistinguitur a domo paterna: atqui prout est condistincta a domo paterna, debet significare natale solum Abrahamæ: ergo. Unde et ipse Abraham agens de vocatione Dei ex terra sua, cap. XXIV, 7 ait: *Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra natalitatis meæ, etc.* Certum igitur videtur, quod per terram, de qua hoc cap. jubetur egredi Abraham, intelligatur natale ipsius solum, et non urbs Haran.

Prob. II. Quia vocatio Abrahamæ, de qua S. Stephanus agit, non est distincta ab illa, de qua hoc cap. agitur; exprimitur enim eisdem verbis: *exi de terra tua, etc., ut patet legenti; adeoque dubitari non potest, quin Stephanus ad hanc Moysis historiam respexerit.* Atqui vocatio, de qua agit S. Stephanus, non est facta in Haran, sed in Mesopotamia vel in Ur Chaldæorum: ergo, etc.

Prob. III. Quia Act. VII dicitur facta, priusquam Abraham moraretur in Charan seu Haran. Deinde additur: *tunc* (id est quando vocabatur) *exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan, etc.* Ergo.

Prob. III. Si duplici vocatione opus fuerit Abrahamæ, non fuit perfecte obediens; atqui hoc admitti nequit; ergo.

Prob. IV. ex S. P. Aug. qui lib. XVI de Civit. Dei cap. XVI reflectens ad verba 1. 5 hujus cap. *In te benedicentur universæ cognationes terræ, ita scribit: Hanc promissionem factam arbitratur Eusebius septuagesimo quinto anno ætatis Abrahamæ, tanquam mox ut facta est, de Charra exierit Abraham: quoniam Scripturæ contradicere non potest, ubi legitur: Abraham erat quinque et septuaginta annorum, cum exiit de Charra. Sed si eo anno facta est ista promissio, utique in Charra cum patre suo demorabatur Abraham. Neque enim inde exire posset, nisi prius ibi habitasset. Numquidnam ergo contradicere Stephano dicenti: Deus gloriæ apparuit Abraham patri nostro cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra? Sed intelligendum est, quod eodem anno facta sunt omnia, et Dei promissio antequam in Charra habitaret Abraham, et in Charra habitatio ejus, et inde profectio: non solum quia Eusebius in Chronico ab anno hujus promissionis computat, et ostendit post quadringentos et triginta annos exitum esse de Ægypto, quando lex data est; verum etiam quia id commemorat apostolus Paulus; nempe ad Gal. cap. III. Ex quibus verbis liquet, juxta S. P. promissionem hoc cap. 1. 3 memoratam, esse Abraham factam, antequam habitaret in Haran: jam vero hæc promissio ipsi facta est, dum Deus eum hic vocavit, ut exiret de terra sua; ergo et vocatio, de qua hic agitur, facta est, antequam habitaret in Haran, et consequenter, dum adhuc erat in Ur Chaldæorum, vel in Mesopotamia.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Vocatio Abrahamæ in Ur, de qua Act. VII, facta est, ut deserta patria tenderet in Haran; illa autem, de qua hic 1. 1, facta est ut tenderet in Chanaan; ergo vocatio, cujus meminit Moyses non est eadem cum ea, quæ narratur a S. Stephano; adeoque Abraham non est ar-

guendus inobedientia, etiamsi duplici vocatione opus fuerit.

Prob. ant. Quia lib. Judith cap. V dicit Achior Ammonites: *Deus præcepit eis* (Thare scilicet et Abrahamo) *ut exirent inde* (nempe ex patria sua) *et habitarent in Charan.*

R. Neg. ant. nam Abrahamum discessisse ex Chaldæa, eo animo ut tenderet in Chanaan, apertissime demonstratur ex cap. præced. 1. 31, ubi dicitur: *Tulit Thare filium suum, etc., et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan.* Ergo non videtur Deus Abrahamo præcepisse, ut directe in Haran tenderet; sed potius, si in ipsa Ur vocatio divina ipsi facta sit, præcepit ut tenderet in Chanaan, antequam habitaret in Haran.

Itaque cum Achior dicat, quod Deus Abrahamæ et Thare præceperit, ut habitarent in Haran, et tamen hic ex cap. XI mox cit. constat quod Thare et Abram voluerint ex Ur Chaldæorum ire in Chanaan; videtur ipse, utpote alienigena, non adeo exacte novisse res Hebræorum, quin in narrando hanc historiam nedum a veritate deflectere potuerit sed et verisimiliter deflexerit. Si interim a veritate non deflexisse supponatur, ulterius dici potest verba ipsius non significare, quod Deus voluerit, ut urbs Haran esset terminus vocationis et profectiois Abrahamæ ex Chaldæa; sed in unicum importare, quod indulgens Abrahamæ, ne patrem senem desereret, voluerit ut ad tempus (puta per aliquos menses, ut ex statim infra dicendis patebit) apud patrem suum remaneret, utpote qui, uti et filius ejus Nachor frater Abrahamæ, in Haran habitavit ac vitam suam ibidem finivit.

Inst. Vocatio, de qua hic, facta est ut Abraham tenderet in Chanaan; igitur si eadem sit de qua Stephanus, eandem adimplere distulit tamdiu quam moratus est in Haran. Porro quod notabili tempore in Haran permanserit, videtur clarum ex 1. 5, ubi dicitur: *Tulitque (Abram) Sarai uxorem suam... universamque substantiam, quam possederant, et animas quas fecerant in Haran: et egressi sunt ut irent in terram Chanaan.* Idem etiam videtur erui ex textu Act. VII, *habitavit in Charan: vox enim habitare notabile mansionis tempus significat.* Ergo secundum hanc sententiam inobedientia potius arguendus est Abram, quam secundum oppositam, quæ astruit duas vocationes.

R. Neg. suppositum, nempe quod Abram notabili tempore (puta quinque annis, ut aliqui autumant) in Haran permanserit. Et ratio est, quod eodem anno facta sint omnia, et Dei promissio antequam in Haran habitaret Abram, et in Haran habitatio, et inde profectio; ut supra ex S. P. audivimus; et etiam inde probari potest, quod ab initio peregrinationis Abrahamæ in terra Chanaan usque ad Exodum fluxerint anni 450; ut infra cap. XV, Q. II, monstrabitur. Jam vero juxta Apostolum præcise etiam tot anni fluxerunt a vocatione et promissione ad Abrahamum a Deo facta; ergo vocatio, et ex Haran migratio in Chanaan contigerunt eodem anno; ac proinde non notabili